

HISTORIAE NATVRALIS DE EXANGVIBVS AQVATICIS

LIBER IV.

DE ZOOPHYTIS SIVE PLANTANIMALIBVS.

CAPVT I.

De Urticis.

TAB.
XVIII.
Aldrov. l. 4.
c. 1.

Nomen.

Quartum Exanguium aquaticorum genus sunt Zoophyta, quae Aristoteles τὰ ἐπαμφοτερίζοντα φῦτα καὶ ζῶα, seu ambigentia plantae et animali, ut Budaeus et Gaza vertunt, appellat.

Talia vero sunt, *Urtica*, Pulmo marinus *Holothuria*, *Tethyia*, *Malum granatum*, *Fungus*, *Pyrus*, *Mentula marina*, *Penna marina*, *Uva marina*, *Malum insanum marinum*, et *Manus marina*.

Urticae, ab urendo Latinis dicuntur, quod manum urere videantur, si ea tangantur. Graecis ἀκαλήφαι, seu tanquam ἀπολῆσαι τὴν ἀφὴν, id est, sensum corrumpentes, seu tanquam ἀπάλαι τῇ ἀφῇ, id est, tactui molles ac lenes, sed per antiphrasin, asperae quippe sunt et infestae, dicuntur. Vocantur et κνίδαί, ἀπὸ τῆς κνίξεως, hoc est, δηγμὸν καὶ κνησμὸν τινὰ ἐμποιοῦν τῶν ἀπτομένων χέρεσι, morsum aut pruritus excitare tangentium manibus: nec non μετρίδια, a similitudine, quam cum muliebri pudendo habent: Colyzenae quoque a modernis, quod colis, id est, pedunculis suis, Polyporum more firmiter adhaereant. In Italia *flammae maris*, apud Trottulam, *Carnes marinae* dicuntur. Jovio urticae et vertibuli haud sine errore iidem sunt.

Descriptio. *Descriptionem* generalem si spectes, *Arist. H. A. l. 8. c. 2. et 4. c. 6.* *Plin. H. N. l. 9. c. 45.* Os in medio habere, quod in majoribus evidentius esset, prodidit Aristoteles. Excrementa nulla in iis cernuntur, et hac re stirpibus sunt similes. Summa tenui fistula reddi, apud Plinium legimus.

Locus. Diversa diligunt *Loca*, et in variis generantur. Quaedam enim nunquam absoluntur, sed saxi semper adhaerent, reliqua quae vagantur, lit-

toribus et planis locis gaudent. De saxo, quasi de testa vivunt, et praeantantes pisciculos excipiunt retinentque, Plinius carne vesci scripsit. Idem Urticis *gignendi* modus qui testa inclusis: per rimas enim, et cavernas, et fauces saxorum oriuntur, ut tradit Philosophus.

De *Natura* earum ita Plinius: Contrahit ergo se quam maxime rigens, *Natura. Plin. H. N. l. 9. c. 45.* et praeantante pisciculo, frontem suam spargit, complectensque devorat. Alias marcenti similis, et jactari se posse fluctu algae viae, contactos attritaque petrae scalpentes pruritus (Dalechampius legit, petras scalpentes ob pruritus) invadit. Eadem nocte pectines et Echinos perquiri: dum admoventi sibi manum sentit, colorem mutat et contrahitur. Tacta uredinem mittit, paulumque si fuit intervalli, absconditur.

Comedebatur olim, ut nunc etiam: *Ufus.* quanquam Pythagoras abstinere discipulos iusserit, vel quod Veneris stimulos afferre diceretur: vel quod Hecatae sacra esset. Ab Aristotele *Arist. H. A. l. 4. c. 6.* post aequinoctium hyemale magno opere laudatur. Hoc tempore plurimas ligneo veru transfixas, et aliquantulum assatas, primum ex sale et aqua fervefaciunt: deinde farina conspergunt, et ex oleo vel butyro in sartagine frigunt. Secundum Xenocratem gratae sunt ori, sed stomacho admodum insuaves: (Diphylus tamen ἐυστομάχως facit) sed assatae elixis accommodatiores. Alvum cient, urinamque magis movent. Cum passo aut vino mulso facile concoquantur et excernuntur. *Medicinam* si attendas, ajunt in vino potas calculosis prodesse, ut author est Galenus.